

ryzâ fieri, stomachum, asperam arteriam, pulmônēs, artus & reli-
qua corporis membra ab undis his stagnantibus aut vitiosè mo-
tis variè ac miserè affligi, malo cotidie nostro experimur.

§. III.

Subjectum catarrhorum primarium sunt *glandule vivide
instructæ spiritu*, qui variis lacesitus occasionibus, catarrhorum
pluvias fundit, quas dum reliquæ corporis partes sustinere co-
guntur, hæ subjecti adæquati seu denominationis titulum jure sibi
vendicant. Idque non mirabitur, qui morbos in ipso vitæ cen-
tro hæreret; organa autem ex variâ vitalium potestatum altera-
tione plecti & pœnam affectorum spirituum luere non nescit, qui
proin uti vitæ & sanitatis, sic (vi contrariorum) præcipuum ac
penitum morborum subjectum existunt, quod vel sola evincunt
cadavera, quæ ob vitalis principii discessum ægrotare desierunt.

§. IV.

Istud ergò ut suâ radiet luce, *causam* catarrhorum *immedi-
atam* statuo *lesam lymphæ circulationem* ex turbato glandularum
distributivo negotio. Istud enim commune glandulis omni-
bus officium esse, ut lympham segregent & in vasa sua distribuant,
ex præmissis claret. Hoc autem non pororum tantum figuris
ac meræ proin transcolationi mechanicæ tribuendum est, sed vi-
tali potius electivo principio, ex glandularum insitis & influis, ar-
terioso & animali, spiritibus invicem confederatis, unitis ac con-
fermentantibus elicito. Quod, uti in debito constitutum vigore
lympham ex glandulis per vasa sua in congruos scopos movere
doctum est; ita sive à lymphâ abundante & peregrino Θ imbutâ,
sive ab externâ Δ is injuriâ aut alio modo, sive propriis Archeali-
bus passionibus, spiritus nempe universalis influi peccato, vel
particularis insiti errore, alienetur, mox muneris sui obliviosum
fit & habenas distribuendæ Lymphæ abjicit, h. e. deserit lympham
& negligit, aut planè ab hospitio suo relegat & eijcit. Lympha
autem vitalis hujus motoris orbata sodalitia à scopis naturæ de-
generat, è glandulis hinc suis & canalibus aberrans, excrementi
indolem suscipit & catarrhi nomine partes gravat. Est enim hoc
vitalium humorum ingenium ut exclusi à spirituum consortio ab
indole suâ desciscant, exitiale nonnunquam potestatibus corpo-